Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 771
Quelle:
Copyright:

lengua Castellana. Por mi P. 1574. Igitur *Parisiis*, et jussu quidem *Elisabethae* Austr. *Maximiliani* II. Imp. Filiae, quae a. 1570. *Carolo* IX. Regi nupta ab ejus morte *Vindobonam* rediit et in condito a se Virginum D. *Clarae* Asceterio diem clausit a. 1592. Ita Interpres in *Dedicatione*, quam praeit et sequitur breve Carmen hispanicum pauperis venae. Insunt vero Collectioni huic praeter dictas Meditationes: *Los Soliloquios de S. Agustin. El Manual de S. Agustin. Las Meditaciones de S. Anselmo. Las Meditaciones de S. Bernardo abbad. Sermon del Mismo de la Muerte y Passion de nostro Sennor. Discurso de Pedro Damian sobre la ora dela Muerte. Deuota Occupaçion y sancto Exercicio del alma que medita en la Contemplacion de Dios*, et *Orationes* XXXV. pro variis opportunitatibus. Quod ad *Augustinum* adtinet, parcere poterat operae Interpres, qui Versionem *Meditationum*, *Soliloquiorum* et *Manualis* typis *Mart. Nutii Antverpiae* 1550. 12. proditam ignorasse videtur. Nihil de eo in *Nic. Antonii Bibl. Hisp.*

VI. J. 22. CCXXXVIII.

825 Codex membraneus lat. Sec. partim XV. partim XIV. Folior. 298. 8. commode perscriptus et rubricis notatus, olimque *Fratrum sancte Crucis in Colonia* sequentia complectitur: I. *Incipit soliloquium beati augustini episcopi. ad prouocandum hominem ad amorem dei.* Ita: *Agnoscam te domine cognitor meus* &c. A nobis indicatum *Cod.* DLXXII. ut subpositum, et a *Maurianis* rejectum in *Append.* T. VI. ad *col.* 85. Abest a *Codice* Δοξολογια: *Omnis gloria* &c.

II. *fol.* 58. *Incipiunt excerpta libri confessionum beati augustini episcopi.* Initium: *Magnus es domine et laudabilis valde* &c. Affectibus plurimum indulsit Excerptor, qui tamen non nisi ad L. XI. pervenit. Ultima sunt: *atque confirmes in eternum deus meus misericordia mea.* Post quae: *Expliciunt excerpta confessionum beati augustini episcopi patris nostri &c. Anno domini. M°. CCCC°. XXIX. in XLma. Deo gratias. Amen. Augustini Confessiones* habentur edit. *Maur.* T. I. *col.* 69. Atque haec manu Sec. XV. Deinceps manu Sec. XIV.

III. *fol.* 137. *Johannis presbiteri damasceni qui mansio* (vide *Cod.* CCXIV.) *libri incipit. in quo est tradicio certa orthodoxe fidei. c. diuisa. c. a burgundione iudice ciue pisano de greco in latinum. Domino tercio eugenio beate memorie pape translatus.* Illud *c. diuisa c.* significat: *Centum diuisa Capitibus*; in IV. tamen per decursum *Libros* dispescitur, quorum collecta *Capita* numerum 106. conficiunt. Obiit *Eugenius* III. a. 1153. Interpres vero *Job. Burgundio* a. 1194. ut habet ejus Epitaphium relatum a *Mazzuchellio* in *Scriptor. Ital. Vol.* II. P. 3. p. 1768. ubi plura de

Viro